

## **Universitäts- und Landesbibliothek Tirol**

### **De Liemaro, Hammaburgensi archiepiscopo et de legatione ecclesiae Hammaburgensis ad populos septentrionales**

**Schröder, Guilelmus**

**Halle, 1869**

Vorwort

\*Scripturus de vita Liemari Hammaburgensis archiepiscopi et de legatione Hammaburgensis ecclesiae ad populos septentrionales, paucis qualis fuerit Hammaburgensis archiepiscopatus status ante obitum Adelberti archiepiscopi exponam.

Hammaburgensis enim ecclesia, quae a. 832 a Ludovico imperatore Transalbianorum et septentrionalium populorum metropolis constituta, paulo post cum Bremensi consociata erat, ab exiguis profecta initiis eo crevit, ut Adelbertus archiepiscopus septentrionis patriarchatum affectaret. Quod quum notissimum sit, mitto de ea re disserere. Adelberto autem defuncto Hammaburgensis archiepiscopatus magis magisque lapsus ad interitum fere redactus nec postea in pristinum statum restitutus est. Sed dolendum est, quod perpauca tantum tradita sunt, e quibus, quomodo hoc factum sit, cognosci potest. Adamus enim, qui a. 1075 „gesta Hammaburgensis ecclesiae pontificum“ conscripsit, nonnullis modo locis Liemari mentionem fecit, deinde Lambertus annales ad principium anni 1077 perduxit. Bruno autem Liemarum archiepiscopum nullo loco commemoravit. Ceteri denique rerum scriptores, qui Saxoniae res gestas tractant, et multo post scripserunt et pauca tantum atque inania memoriae tradiderunt.

Quae quum ita sint, Humberti et Friderici archiepiscoporum rebus gestis, quas Liemari vitae addidi, permagnae offusae sunt tenebrae.

In Liemari rebus gestis componendis maxime me adiuvit, quod Lappenberg, vir doctissimus et de Hammaburgensis ecclesiae historia optime meritus, in diplomatario Hammaburgensi ad diploma 103 num. de eiusdem archiepiscopi vita notavit. Contra Staphorstio in libro, quem de historia eccle-

siastica Hammaburgensi conscripsit, nullam fidem dare possumus, quoniam autor non satis accurate e fontibus hausisse videtur.

Lambeccius autem, qui „origines Hammaburgenses“ composuit, ceterique rerum Hammaburgensium scriptores ea tantum monumenta, quae etiam adhuc exstant, perscrutati sunt neque novi quidquam afferunt.

---

### De statu Hammaburgensis ecclesiae, qualis fuerit anno 1072.<sup>1</sup>

Adelbertus archiepiscopus, quum primo ab anno, quo ad sedem archiepiscopalem ascendisset, pro libertate dioecesis suae recuperanda et gloria ecclesiae suae amplificanda laboraret, adversariorum numero, qui jam antea Hammaburgensi archiepiscopatu exstiterant, plurimos adiecit. Praetermitto contentionem Adalberti cum Annone, Coloniensi archiepiscopo, de regno Teutonico gubernando, illa tantum commemoro et in medium profero, quae ab anno 1066 gesta sunt. Inter omnes adversarios duces Saxoniae Ordulfus eiusque filius Magnus et frater Ordolfi Herimannus comes, e gente Billingorum orti infestissimos Hammaburgensi ecclesiae se gerebant, praesertim quum illa pars archiepiscopatus, quae trans Albim sita nunc Holstein et Lauenburg dicitur, ducibus illis, qui comitatum ibi administrabant, subdita esset. Qua de causa iidem principes, ut hanc potestatem et in altera parte, Bremensem dico episcopatum, adipiscerentur, summopere enitebantur et urbem Bremam, archiepiscopo soli submissam, sibi subigere cupiebant. Ita factum est, ut non multo post Magnus dux Adelbertum a gubernaculo regni deiectum de dioecesi Hamma-

---

1) Grünhagen: Adelbert, Erzbischof von Hamburg und die Idee eines nordischen Patriarchats 1854. Steindorff: De ducatu, qui Billingorum dicitur, in Saxoniam origine et progressu. Berlin 1858. Wintzer: De Billingorum intra Saxoniam ducatu. Bonn 1869. Weiland, das sächsische Herzogthum.